

CAUT II.

DE METALLURGICIS METAMORPHOSEΩΣ EXPERIMENTIS SPECIALIBUS.

I. Ex limosa vitriolica vè terræ Ferrum preparare.

§. I.

Ferri optimi & Chalybis præstantiâ jam inde à *Virgilio* ætate celebris *Tyrrheni* maris Insula, est *Ilva*, sive *Elva*. Vid. post *Matthes*. & *Agricol.* in *Chronic. Metall.* Cap. XI. fol. 96. seq. maximè *Albin.* Scriptor Italus recentior, Marchese *Marco Antonio* della *Fratta* e *Montalbano*, Nobile *Bolognese*, in *Tract. de Minerali Practica* ad *Parma* ac *Placentia* Ducem Illustriss. *Ranuccium* II. Cap. I. pluribus, quæ ibi observavit, explicat, renasci semper ferrum *Elva*; sicuti & Aurum & Argentum. *Athanas. Kircherus* testis est *ἀντί-πινος*, lib. X. *Mund. subt. sect. 4. c. 10. § 3.* definito spacio annorum ferri copiam renasci isthïc. Non ignorò, variare, in determinandis annis, aliquos; notavit tamen in *Palladio Chymia* *Jan. Gobrat*, part. I. c. 1. post XXV. annos, ex quo semel fuit erutum Metallum hoc, renasci denuò. Non tot anni, nec tot menses, sed ne dies quidem, & vix horæ requiruntur totidem, si quis parare ferrum artificio labore. Res hæc non ad lucrum, sed Naturæ pariter & Artis veritatem spectat; curiosis animis suppeditanda ex *Bechero*.

§. II. *Inter cetera*, (scribit is, in *Phys. Subterr. supplem.* c. 2. p. 36. seq.) reductionem oleorum in terram, valdè quæsi; proinde inter varias enchyrises limum communem, unde lateres coqvuntur, & furni parantur, ad aërem siccatum, ut cribrari possit, oleo lini ita perfudi; ut globuli inde formari poterint pro capacitate Retortæ, coli magnitudine. -- -- Reple-